



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Theologia Polemica**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Helvetiorvm, 1678**

LXXVI. De Sacramento Pœnitentiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)



Urbanus IV. Papa in decret. Instit. Festi Corporis Christi. Singulas hæc rationes pluribus declarant P. Georgius Scherer, Matthias Faber, & alij in suis Concionibus & Tractatibus.


XI. Respond. ad 1. in oppositum. Legem Naturæ præcipere adorationem DEI, & cælestem Patrem jubere Filium suum adorari, ut paulò ante diximus. Ipse etiam Christus institutionem hujus solennis & publici honoris Venerabili Sacramento Eucharistiæ exhibendi voluit, & Ecclesiam mirabili revelatione ad eandem impulit, ut videre est apud Diestemium in Libello anno 1603 edito. Sanctum Antoninum 3. Part. Tit. 19. c. 1. Onuphrium & alios. Ad 2. hoc mirum non esse, quia Apostoli & primi Christiani dominantibus adhuc Gentibus ausi non fuerunt, fidem hujus Sacramenti tali publicâ solennitate protestari, idque palam honorare, nec pretiosam Margaritam producere in lucem, ne pecorum (Gentilium) pedibus conculcarentur. Ad 3. nullum esse periculum idololatriæ & superstitionis; atque adeo non solum non peccamus adorando: sed peccaremus non adorando, ut S. Augustinus in Psal. 38. de adoratione Eucharistiæ gravibus verbis dixit, omnesque Sectarios Sterili & subsannanti Michol similes ostendit.



## CONTROVERS. LXXV.

### DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

Sacramentum Poenitentiae in Nova lege ita connexum est cum virtute Poenitentiae, ut nec Sacramentum istud sine virtutis Poenitentiae actu consistere possit: nec actus virtutis Poenitentiae sine Sacramento Poenitentiae in revel in voto ad justificationem prodesse valeat. Unde Scholastici priusquam ad ipsum Poenitentiae Sacramentum accedant, de virtute Poenitentiae tractare solent. Verum quia omnia, quæ ab hæreticis moventur, Sacramentum Poenitentiae concernunt, ideo virtute Poenitentiae vix obiter tactâ statim ad Sacramentum Poenitentiae properabimus explanandum, & nec hoc universum (cum plura in eo ad Theologos morales spectent) sed restrictum, quatenus Controversum est; in quem etiam modum postea Indulgentias Poenitentiae annectemus, utpote huic affines.



#### PARS PRIOR

### DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Poenitentiae nomine in communi intelligitur dolor quidam & retractatio prioris facti. Theologicè accipitur pro dolore de peccatis commissis. Quâ ratione dubium esse non potest, quin sit Virtus; quia per se patet, detestari peccatum, ut satisfaciamus DEO offenso, & cum eo celeriter in amicitiam redeamus, esse actum de se bonum & honestum, adeoque actum virtutis, non tantum secundum quid, sed

etiam simpliciter, ut teste Card. de Lugo Disp. 1. Tom. 1. de Penit. num. 1. communiter tenent Doctores. Sed minimè convenit inter eosdem, qualis sit virtus. Durandus Dist. 14. q. 2. putat, non esse certam virtutem in specie determinatam, sed virtutum omnium globum seu Justitiam generalem, quæ refarciat ac reparat errata omnia contra virtutes omnes. S. Thomas verò 3. Part. Q. 85. art. 2. & 3. atque alij plerique Scholastici multò probabilius contrarium tenent. Unde

II. *Doctrina secunda.* Poenitentia est virtus specialis ab omnibus alijs distincta. Probatur. 1. pars. Quia ibi datur specialis virtus, ubi adest speciale motivum. Atqui tale adest pro Poenitentia, ut constabit. Ergo &c. Non obstat, quamlibet virtutem detestari posse peccata sibi opposita ex proprio & peculiari suo motivo, & sic aliquo sensu poenitentiam nomen mereri. Nam adhuc datur aliud motivum extendens se ad omnia peccata, quod sola poenitentia attingit, ideoque specialis virtus dici debet juxta D. Thomam Loc. cit. ad 2. Prob. 2. pars. Quia si motivum specialis Poenitentiae differt à motivo aliarum virtutum, tunc & ipsa ab alijs distinguitur. Sed verum est Anteced. Ergo &c. Nam 1. differt à charitate; quia non est virtus theologica; siquidem non attingit immediatè & ratione sui, atque ut obiectum primarium DEUM; esto circa hunc versetur, ut obiectum Cui. Equidem SS. Patres, cum agunt & loquuntur de Poenitentia, maximè dolorem seu contritionem perfectam & ex charitate ortam intelligunt. Sed per hoc non negant aliud motivum & habitum, qui non sit virtus theologica; sed specialis Poenitentia. 2. differt à Religione; quia actus hujus seu cultus DEI est planè independens ab omni peccato; etenim nihil aliud in suo conceptu involvit, quam reddere DEO reverentiam debitam ob summam ejus Maiestatem: at verò Poenitentia detestatur peccatum ex longè alio motivo, ut constabit. 3. à Justitia vindicativa; quia punire peccata ex justitia vindicativa pertinet ad Superiorem seu Judicem. Nullus autem potest esse sui Judex aut superior. 4. à Justitia Distributiva; quia hæc versatur circa distributionem bonorum communium servando proportionem geometricam; id quod alienum est à speciali virtute Poenitentiae peccata commissa detestantis. 5. denique differt à Justitia Commutativa humana, quia ex communi sententia Theologorum est habitus per se infusus & supernaturalis.

III. *Doctrina tertia.* Probabilius videtur, habitum specialis Poenitentiae esse veram quandam speciem Justitiae Commutativæ hominis ad DEUM, quâ homo non solum Jus divinum læsum reparat, sed etiam illæsum illud conservat, aut ab alijs quoque læsum restituit. Ita, expressè Suarez de Poenit. D. 2. S. 2. Tanner ibid. Q. 2. num. 30. Arriaga tum alibi, tum de Poenit. Disp. 2. num. 50. & apud hoc alij plures tam veteres quam Recentiores Theologi, ac nominatim S. Thomas: quem pro hac sententia stare fuisse ostendunt cit. Authores. Probatur. Tum, quia inter Deum & hominem potest esse vera Justitia, ut docuit in Disput. de Incarnatione verbi anno. 1661. Frisburgi Brisg. impressa à thesi XCVII. cum Thomistis, Suarez, Tanner, Mendoza, Arriaga & alijs: ac vera injuria DEO per peccatum inferatur, ut sæpe innuit Sacra Scriptura, idcirco peccata



cata appellans iniquitates, iniustitias, adulteria &c. quæ planè iustitiæ opponuntur. Ergo ex eadem iustitia tenemur ad restitutionem seu compensationem; quo posito nulli commodius possumus id attribuire, quàm Pœnitentiæ, cum satisfacere & pœnitere sit revera idem. Tum quia in rebus etiam humanis ad eandem virtutem iustitiæ spectat, & jus illæsum alteri servare, & læsum Compensare v. g. nolle furari, vel satisfacere pro furto. Ergo etiam in ordine ad DEUM. Tum quia nulla alia virtus fingi potest, ad quam perineat jus DEI illæsum servare, & læsum reparare, quàm Pœnitentia. Ergo si id pertineat ad ullam virtutem, spectabit ad Pœnitentiam. Unde inferitur, habitum Pœnitentiæ esse quidem veram quandam speciem iustitiæ, distinctam tamen à iustitia etiam infusa; quæ homines inter se iusti sunt, propter Jus longe excellentius & superius, quod Pœnitentia respicit, ut apertè docent Suarez Disp. 7. Sect. 1. & alij, faterenturque Card. Lugo de Incarnat. D. 3. num. 67. Sed non ultra; quia iam sententiam hanc solim volo primis digitis attingere, non manuteneere, uti faciebam in Theologia Scholastica.

IV. *Doctrina quarta.* Pœnitentia est verum & propriè dictum Sacramentum à Baptismo distinctum. Ita omnes Catholici. Prior pars desumitur ex Sacra Scriptura Joan. 20. vers. 23. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata, remittentur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quo in loco habetur 1. ceremonia quædam externa; nempe judicialis Actio, quæ in propria & voluntaria accusatione & absolutione Sacerdotis à peccatis consistit. 2. Pignus seu Promissio gratiæ; quia remissio peccati juxta præsens decretum DEI non fit absque infusione gratiæ. 3. Mandatum divinum, quatenus prædictis verbis hæc alia fuerunt præmissa: *sicut me misit Pater, & Ego mitto vos.* Cum ergo ista ad verum & propriè dictum Sacramentum sufficiant, perspicuum est, Pœnitentiam verum & propriè dictum esse Sacramentum; sic enim ex his, & ijs, quæ de Sacramenti in communi definitione supra diximus, argumentari possumus. Quidquid est ceremonia sacra, sensibilis, stabilis, in pignus gratiæ instituta, est Sacramentum verum. Pœnitentia est talis Ceremonia. Ergo &c. Quod etiam post Constantiense, Florentinum, & alia Concilia definit Tridentinum Sess. 14. can. 1. his verbis: *Siquis dixerit, in Ecclesia Catholica Pœnitentiam non esse verè & propriè dictum Sacramentum pro Fidelibus à Christo Domino institutum, anathema sit.* Idem tradunt Patres apud Belarminum Lib. 1. de Pœnit. c. 10. & 13. è quibus D. Gregorius Nyssenus in lib. de vita Moysis sic scribit: *Moses inundare aquis eremum fecit. Quæ res quantum qualèque sit Pœnitentiæ Sacramentum, docet. Nam qui ad Aegyptias voluptates, postquam biberunt de liquido, lapsi sunt, possunt tamen virtute Pœnitentiæ lapidem, quem dereliquerunt, invenire.* Posterior pars itidem definitur à Tridentino Sess. cit. can. 2. *Siquis Sacramenta confundens ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.* Hic articulus fidei in Scriptura quidem discretè non exprimitur, tamen per bonam consequentiam inde colligitur, maxime ex citatis verbis Christi Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum &c.* Unde sic ratiocinari possumus. Quæcumque Sacramenta

habent distinctum finem & effectus, quos per se & primariò respiciunt, illa inter se distinguuntur. Sed Baptismus & Pœnitentia habent talem finem & effectus. Ergo &c. Probatum Min. Baptismus per se institutus est tantum ad delendum peccatum originale, & secundariò duntaxat ad auferenda peccata actualia, siquæ sint cum Originali conjuncta: Pœnitentia verò instituta fuit ad delenda peccata post susceptum Baptismum commissa. Ergo &c. Vocat autem Concilium Pœnitentiæ Sacramentum secundam tabulam, quasi post naufragium peccati mortalis remanentem; non respectu tabulæ alicujus prioris itidem ex navi naufraga relictae, sed ipsius navis seu statûs integritatis & innocentiae per Baptismum comparati. Quamquam dici etiam posset, post naufragium totius humani generis in peccato primi parentis factum, primam salutis tabulam esse Baptismum; alteram Pœnitentiam; utroque enim modo rectè explicari hæc metaphora communiter notant Theologi; eamque usurpant Patres Hieronymus in caput 7. Isaia, & in Epistola ad Demediatrem. Tertullianus Lib. de Pœnit. Ambrosius ad Virginem Lapsam c. 18. &c.

V. Porro institutum fuit Sacramentum Joan. 20. cit. quando Christus insufflans in Apostolos dixit: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata &c.* ut tradit idem Tridentinum Sess. cit. cap. 1. ajens: *Dominus autem Sacramentum hoc Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum à mortuis resuscitatus insufflavisset in discipulos suos dicens: accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* quæ verba ex Joan. 20. cit. fuerunt desumpta. Non obstat, quod Concilium dicat præcipue; per istam enim particulam non voluit indicare, hoc sacramentum etiam alibi fuisse institutum, sed duntaxat, Sacramentum istud alibi fuisse promissum & quodammodo inchoatum, uti patet Matth. 16. v. 19. quando Christus Petro dixit: *tibi dabo claves regni caelorum, & quodcumque solveris super terram, erunt ligata in caelo, & quodcumque ligaveris super terram, erunt soluta & in caelo.* Hæc tamen promissio diviniæ ratificationis, quod scilicet DEUS perinde in caelo Apostolorum absolutionem & ligationem sit ratam habiturus; ac si ipse fecisset, intelligenda est cum tacita conditione, si legitime utantur potestate illa; etenim homines impœnitentes & indispositos absolventi nihil efficient, nec DEUS id ratum habebit.

VI. Demum etiam observandum; hanc potestatem clavium S. Petro tanquam designato summo Pontifici seorsim promissam, & traditam latius patere, quàm potestatem alij discipulis concessam; designabat enim non solum potestatem remittendi peccata, & injungendi pœnitentiam, sed etiam plenam facultatem omnia salutis impedimenta removendi, & liberum ingressum in caelum aperiendi, uno verbo, faciendi omnia adrectam gubernationem totius Ecclesiæ necessaria, uti sunt legum latio, censurarum inflictio, indulgentiarum concessio, dispensatio in votis & juramentis, decisio dubiorum, convocatio Conciliorum &c. sicuti bene advertit Marius Alterius Tom. 1. de Censuris. fol. 25.

VII. *Doctrina quinta.* Sacramentum Pœnitentiæ constat materiâ & formâ tanquam partibus essentialibus intrinsecè ad ejus compositionem pertinere.



pertinentibus. Ita Concilium Florentinum in decreto Unionis universim affirmans, novæ legis Sacramenta constare ex rebus tanquam materia: & ex verbis tanquam forma; aliunde autem ex Philosophia constat, materiam & formam in compositis tam naturalibus quam artificialibus esse partes intrinsecè constituentes. Materia autem proxima sive partes materiales hujus Sacramenti sunt tres actus Pœnitentiæ, nempe Contritio, Confessio, Satisfactio, ut expressè tradit Tridentinum Sess. 14. c. 3. sic ajens: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti Pœnitentiæ actus, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio*; ubi particula quasi non habet sensum abalienantis, sed tantum distinguentis materiam hujus Sacramenti à materia quorundam aliorum. Ex his actibus Contritio & Confessio sunt partes essentielles: Satisfactio autem solum integralis; quia apud omnes indubitatum est, per Sacramentum Pœnitentiæ causari gratiam etiam diu ante, quam reipsa ponatur satisfactio; cum tamen gratia non detur, priusquam Sacramentum subsistat. Quare de hac satisfactione ob peculiâres difficultates sequenti controversia agemus: nunc cœtera de Pœnitentia expedimus.

VIII. *Doctrina sexta.* Contritio, quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ, necessariò debet esse formalis, ita ut virtualis in nullo casu sufficiat. Ita cum S. Thoma 3. Part. q. 84. art. 1. ad 1. communis sententia Theologorum. Prob. 1. ex Concilio Tridentino Sess. 14. c. 3. recens citato, ubi dicitur, *materiam quasi hujus Sacramenti esse actus pœnitentis, nempe contritionem &c.* Ex quo sic argumentari licet. Materia quædam consistens in actibus pœnitentis est essentia hujus Sacramenti. Ergo aut omnes actus pœnitentis sunt de essentia, aut saltem ij, quos nec manifesta ratio, nec auctoritas excipere cogit, qualis in primis est contritio. Ergo impossibile est, essentiam aut effectum Sacramenti Pœnitentiæ consistere sine formali Pœnitentia. Probatur 2. ratione. Tum quia nec confessio vera & accusativa sui esse sine formali pœnitentia; nec absque tali confessione forma hujus Sacramenti & veritas ejus consistere potest; siquidem ista veritas confessionem & accusationem sui supponit. Tum quia ex ipsa rei natura pœnitentia formalis est accommodatissimum medium ad offensam DEI tollendam. Videatur Tanner Tom. 4. Disp. 6. Q. 6. n. 74. Diximus nullo casu. Nam contritio seu Pœnitentia Formalis atque explicita est, quando cum dolore detestamur peccatum, id quod est formaliter denominare pœnitentem, sive deinde motivum sit specialis pœnitentiæ, sive alterius virtutis ad omnia peccata commissa se extendentis: Virtualis verò & implicita, quando amamus bonum peccato oppositum, etenim cui bonum placet, hoc ipso malum oppositum eidem displicet oportet. Si ergo pœnitens conceperet contritionem seu dilectionem DEI absque formali dolore de peccatis commissis, assequeretur quidem effectum Sacramenti, cum Dilectioni DEI sæpius in Sacra Scriptura promittatur remissio peccatorum. Sed hoc fieret extra Sacramentum & ex mera hypothese; quippe absolute fieri nequit, ut quis actualiter & formaliter cogitet de peccatis & simul afficiatur ad motivum illis oppositum, quin ea actualiter & formaliter odio habeat, ut bene Esparza de Pœnit. Quæst. 88. art. 4. & 5.

IX. Porro Contritio alia est perfecta, alia imperfecta; prior est; quæ ob perfectionem motivi sui scilicet charitatis disponit ultimò ad justificationem etiam extra Sacramentum, & absolute contritio appellatur: posterior est, quæ ex motivo turpitudinis peccati: vel ex metu poenarum elici, & Attritio vocari solet. Hanc Attritionem ut cognitam non sufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ tenent Magister Sentent. D. Bonaventura, Hugo de S. Victore, Abulensis & alij apud Vasquez. Quæst. 92. art. 1. & 2. Tum propter auctoritatem P. Augustini, Gregorij, Chictovai & aliorum afferentium, peccatorem prius vivificari à Deo, quam à Sacerdote absolvatur. Ergo ad absolutionem præsupponi debet contritio perfecta. Tum quia homo mortaliter peccans censetur amare bonum creatum, cujus gratia peccat appetitivè supra DEUM. Ergo ut reconcilietur Deo, tenebitur ipsum amare super omnes creaturas; alioquin præcedens actus tam diu manet, donec per aliquem contrarium revocetur, consequenter non poterit homo sine perfecta contritione formali vel virtuali justificari.

X. *Doctrina septima.* Attritio etiam ut talis cognita sufficit ad valorem & fructum hujus Sacramenti. Ita communiter Catholici Doctores, & videtur hoc definitivè Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 4. sic loquens: *Quamvis (attritio) sine Pœnitentiæ Sacramento per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen cum ad gratiam DEI in Sacramento impetrandam disponit.* Utrique non tantum remotè & insufficienter (hoc enim etiam extra Sacramentum facit) Ergo proximè & sufficienter; Concilium enim ibi distinguit contritionem, quæ solum sufficit cum Sacramento ad justificationem, ab ea contritione, quæ sufficit sine Sacramento. Confirmatur doctrina nostra. Ex comuni consensu Theologorum, inò ex definitione Ecclesiæ & vi suæ institutionis Pœnitentia est mortuorum Sacramentum. Ergo non supponit gratiam. Ergo nec requirit perfectam contritionem, ut in simili de Baptismo argumentamur. Respond. ad 1. in oppositum cum Dicastillo Disp. 6. de Pœnit. num. 34. Patres non loqui de vivificatione animæ, quæ fit per gratiæ & sanctitatis infusionem, sed de aliquo motu vitæ, quo peccator incipit se disponere ad penitentiam & justificationem. Ad 2. concessio antecedente, negando consequentiam. Nam inordinatus boni creati amor sufficienter retractatur per attritionem efficacem, quæ posita verum est dicere, talem hominem diligere DEUM super omnia; non quidem positive, sed negative, hoc est, ita ut nullam rem creatam ei præferat (quod tamen nondum sufficit, ut peccatum censetur ablatum) Si ergo tali homini conferatur gratia & charitas virtute Sacramenti, censetur hoc ipso, uti prius, DEUM habitualiter super omnia diligere.

XI. *Doctrina octava.* Dolori, de quo diximus, in Sacramento Pœnitentiæ adjunctum esse oportet Propositum non peccandi de cætero. Ita communiter Theologi Catholici, & habetur in Concilio Florentino & Tridentino; quorum illud in decreto Eugenij docet, *primam partem Pœnitentiæ esse contritionem cum proposito non peccandi de cætero: illud verò Sess. 14. c. 4. ait, contritionem esse detestationem peccati commissi cum proposito non peccandi de cætero.* Ratio est, quia ipsa etiam ratio naturalis dicitur,



distat, in exhibenda satisfactione praesertim voluntaria dispositionem maxime accommodatam ad reconciliationem laesi esse propositum emendationis, adeoque abstinendo imposterum ab offensa. Caeterum non convenit inter Doctores, utrum propositum istud non peccandi de reliquo debeat esse formale & expressum? Affirmant Card. Bellarminus L. 2. de Poenit. c. 6. & 7. Toletus, Canus, & nonnulli, qui putant, attritionem etiam ex motivo universali non posse esse propositum implicitum non peccandi imposterum. Tum quia ad vitandas poenas aeternas & salutem non amittendam non est necessarium, non peccare: sed solum requiritur non mori in peccato mortali. Ergo in ea detestatione praeteritorum ob huiusmodi motiva non includitur voluntas non faciendi illa: sed agendi poenitentiam de iisdem ante mortem. Tum quia si quis ex consideratione inferni diceret: mallet peccare, quam aeternum sustinere has inferni poenas, peccaret, & non posset hoc peccatum refugere ex odio poenarum. Ergo &c. Negant melius Villalobus Tom. 2. Tr. 9. difficult. 19. num. 8. Card. Lugo de Sacram. Poenit. D. 14. Sect. 5. Arriaga, Dicastillo, & plerique alij. Nam impossibile est, ut aliquis ex supernaturali & universali motivo (quale in praesenti supponimus) efficaciter doleat v. g. de furto propter poenam inferni, carentiam Beatitudinis, turpitudinem peccati &c. ac simul velit offendere DEUM in diverso genere; alias veller contradictoria. Ergo dolor iste extendit se implicite ad vitanda omnia peccata, quae sunt offensae graves Dei. Aliud est de dolore ex motivo non universali, sed speciali, per quod poenitens dolet de peccatis illis, quae confitetur; praeter hunc enim dolorem specialem requiri propositum formale & universale, recte concedit Lugo loc. cit. Respon. ad 1. in oppositum, negando consequentiam. Nam cum homo eo ipso quod peccet, iam sit dignus inferno, & omnino sit incertus de tempore & auxilio efficaci ad poenitentiam, id sufficit, ut nolit ullo modo se ei periculo exponere. Ad 2. cum Lugo loc. cit. n. 59. & Dicastillo D. 6. de Poenit. num. 222. & alijs, negando antecedens; etenim tale peccatum potest odio haberi ex metu inferni, quia de facto illud etiam peccatum reddit hominem dignum ea poena, & ad detestandum idem non est necesse dicere: malo pati poenas, quam peccare, sed de objecto nihil dicendo potest de ipso actu reflexe dolere, siquidem iste de facto induxit dignitatem poenae aeternae; diceret ergo homo ille: doleo, quod postposuerim poenas peccato, per quam praelationem incurri dignitatem earum poenarum, ubi non ait e contrario: postpono peccatum poenis, sed ab his omnino abscondit. Bene etiam advertit Arriaga Disp. 38. num. 6. Adversarios argumentis suis non tam probare, in attritione non includi propositum non peccandi de reliquo, quam vi illius non posse hominem detestari omnia peccata praeterita. Verum quod attritio in actu quasi exercito magis fugiat infernum, quam peccatum, facit quidem, ut illa non sit actus perfectissimus, minime vero, quod sit malus.

XII. *Doctrina nona.* Confessio Sacramentalis omnium peccatorum mortalium post Baptismum commissorum tum publicorum tum occultorum est instituta a Christo, adeoque jure divino necessaria. Ita omnes Catholici de fide tenent. Proba-

tur 1. ex Sac. Scriptura. Joan. 20. Christus conferens Apostolis eorumque Successoribus iudicariam potestatem ait v. 23. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Cum igitur nemo iudicare possit de re, cuius nullam habet notitiam, si Sacerdos iudicare debeat, num peccata remittenda an retinenda sint; scire professio illum oportet, quae nam sint peccata. Atqui hoc scire non potest citra revelationem divinam, nisi poenitens ea aperiat, siquidem saepe occultissima sint; non solum autem publica, sed etiam occulta peccata iudicari a Sacerdote debere, colligitur ex generalibus illis verbis, *quorum remiseritis peccata, quaecumque alligaveritis &c.* Ergo si Sacerdos ex institutione iudicare debeat de omnibus peccatis etiam occultis, necessario ex eadem divina institutione requireretur confessio, qua peccator se voluntarie accusat. Confirmatur ex alijs Sacrae Scripturae locis attestantibus in primitiva Ecclesia tempore Apostolorum usitatam fuisse peccatorum confessionem, utique ad veniam impetrandam; sic enim scribit D. Lucas Act. 19. v. 18. *Multi credentium veniebant confitentes & annunciantes actus suos; multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati (id est, Magi & Venefici) contulerunt libros, & combusserunt.* D. Jacobus c. 5. v. 16. ait: *confitemini alterutrum peccata vestra; ubi tamen vox alterutrum non nimis grammaticè sumenda; quasi invicem oporteret confiteri; cum non omnes sint Sacerdotes, quibus solis competit hoc iudicium, sed paulò largius accipienda, unus alteri confiteatur, sicut S. Petrus epist. 1. c. 4. v. 9. ait: Hospitales invicem sine murmuratione unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes.* Ubi loquitur de Eleemosyna, quam divites ex opibus a DEO collatis in pauperes expendere debent, non autem vicissim pauperes, qui non habent.

XIII. Probat 2. ex Figuris Veteris Testamenti, ubi Sacerdotibus commissum fuit iudicium leprae; ut quem ipsi leprosum pronuntiarent, hominum consortio excluderetur, quem verò mundum declararent; communi Societati restituere-tur Levit. 6. v. 2. Num. 5. v. 6. quod etiam Christus probavit Lucae 17. v. 14. Hoc iudicium Sacerdotale fuisse figuram Novi Testamenti, constatur ex generali doctrina Apostoli 1. Cor. 10. v. 6. *haec omnia in figura contingebant illis.* Et ad Hebr. 10. v. 1. *Umbram habens lex futurorum bonorum &c.* tum ex speciali ratione leprae, cuius iudicium potius ad Medicos quam ad Sacerdotes pertinuisset; nisi aliquod sacrum mysterium Novae legis significasset; quodnam verò aliud, nisi Sacramentum Poenitentiae; ubi Sacerdotes de Spirituali lepra peccatorum iudicant. Ne autem haeretici hinc argumententur, quemadmodum Sacerdotes Iudaici lepram corporalem curare non potuerunt, sed tantum curatam pronuntiarent, ita Sacerdotes Christianos peccata non remittere, sed per fidem remissa declarare, sciant, omnem similitudinem claudicare, nec figuram figurato exactè respondere, ut clarè patet in aeneo serpente super lignum suspenso, cuius aspectu lethale venenum serpentum curabatur. Num. 21. v. 9. quam Christus ipse suae crucifixionis figuram gessisse affirmat Joan. 3. v. 14. Unde tamen non licet inferre; sicut aeneus ille serpens non suo merito, sed nuda significatione venenum pepulit, ita Christum Crucifixum peccati virus non per meritum suae passionis



tionis curasse. Quare similitudo inter Sacerdotes Vet. ac Novi Testamenti quoad curationem lepræ Spiritualis & corporalis non est in modo operandi, sed in effectu, scil. restitutione prioris sanitate. Ita S. Chrysostomus explicat Lib. 3. de Sacerdotio scribens: *Corporis purgare lepram, seu, ut verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare Judaorum Sacerdotibus solis licebat: At verò nostri Sacerdotes non tantum lepram corporis, verum animam sordes non tantum purgatos probare, sed purgare prorsus concessum est.*

XIV. Probatur 3. ex Concilijs & Patribus, quorum plura testimonia adducit Card. Bellarmin. Lib. 3. de Pœnit. à cap. 5. Sufficiat nobis unum & alterum. Concilium Cabilonenſe II. ante annos octingentos can. 32. scribit: *Sed & hoc emendatione indigere perspeximus, quod quidam, dum confitentur peccata sua Sacerdotibus, non plenè id faciunt &c. Solerti igitur indagazione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio, scil. ut & ea confiteantur, quae per corpus gesta sunt, & ea, quibus in sola cogitatione delinquitur.* Similia sunt in Concilio Turonico III. can. 22. Moguntino sub Rabano c. 26. & Wormatiensi c. 25. quibus accedit Tridentinum Sess. 14. c. 6. contra Sectarios sic definiens: *Siquis negaverit, confessionem Sacramentalem vel institutam, vel necessariam esse jure divino, aut dixerit, modum secretò confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica semper ab initio observavit & observat, alienum esse ab institutione & mandato Christi, & mandatum esse humanum, anathema sit.* D. Cyprianus Serm. de Lapsis sic hortatur: *Confiteantur singuli, queso vos Fratres, delictum suum, dum adhuc, qui delinquit, in saeculo est, dum admitti confessio potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotem, apud Dominum grata est.* D. Chrysostomus hom. 20. in Genesin hæc habet; *qui voluerit, ut decet, uti conscientia adjumento, & ad confessionem facinorum festinare, & Medio ostendere ulcus, atque ab illo remedia accipere, & soli ei loqui nullo alio conscio, & omnia dicere cum diligentia, facile peccata sua emendabit; confessio enim peccatorum abolitio est delictorum.* S. Augustinus hom. 12. ex 50. ita ait: *In omnibus Scripturis divinis utiliter & salubriter admonemur, ut peccata nostra debeamus jugiter & humiliter non solum DEO, sed etiam Sanctis & DEUM timentibus confiteri.* Videri etiam possunt Jacobus Keller in Paparu Catholico à fol. 740. Bernardinus Verweis in Speculo veræ Ecclesiæ à fol. 808. Gregorius de Valentia Tom. 4. Disp. 7. Quæst. 9. pun. 2. & alij, qui apertissima veterum Patrum verba allegant. Unde sic argumentari possumus. Antiquus Ecclesiæ usus & praxis in re fidei & à Christo præcepta non rejici, sed retineri debet; quis enim sani judicij homo Ecclesiam DEI in re tanti momenti & per tot sæcula usurpata arguere erroris, ac corrigere audeat? Sed confessionis privatæ omnium peccatorum mortalium, quorum homo recordatur, usus & praxis fuit omnibus retro sæculis in Ecclesia DEI, ut expressissimè testantur Sac. Concilia & Patres. Ergo non abijciendus, sed retentus est. Probatur 4. ratione. Tum quia in omni reconciliatione & satisfactione requiritur recognitio & confessio offensæ. Cum ergo Christus Sacramentum Pœnitentiæ directè ordina-verit ad reconciliationem pœnitentis, voluit, confessionem etiam externam coram Sacerdote in illo intervenire. Tum quia cum homo per peccatum mortale superbè à Deo se avertat, atque hunc rebus creatis turpiter postponat, convenien-

tissimum est, ut in reconciliatione sese rursus coram Ministro Christi humiliet, ad pedes hujus se abijciendo &c. Tum quia lex Nova sic apertius respondet legi veteri, eamque superat. Quemadmodum enim Sacerdotes Mosaici de lepra solum corporis factâ prius exploratione judicium tulerunt, ita Sacerdotes Novæ Legis simili exploratione præviâ de animæ lepra sententiam ferunt non aliâ utique ratione cognoscendâ, quam propriâ pœnitentis confessione.

XV. Ex dictis tria inferimus. 1. Confessionem esse necessariam necessitate mediij in re vel voto, quia sine ea non potest obtineri remissio peccati mortalis post baptismum commissi, vel saltem non sine ordine aut directâ obligatione ad illam: atque aliunde est medium per se ordinatum ad talem effectum. 2. Confessionem privatam non esse ita de necessitate Sacramenti, ut publica non sufficiat, ut communiter docent Theologi, apud Suarez D. 24. Sect. 2. quidquid nonnulli fecerint; etenim Tridentinum Sess. 14. c. 5. ait, *Christus non vetuisse publicam confessionem, si quis in iudicium scelerum suorum ob sui humilitatem & aliorum exemplum ita expedire judicaverit.* Verum propter varia incommoda, quæ emergere interdum possunt, jam in usu esse desijt. 3. Venialia peccata includi sub potestate absolvendi, non retinendi; nam qui dat potestatem absolvendi & condonandi graves incurias, à fortiori dare censetur potestatem condonandi leves: at non è contrario, qui negat potestatem absolvendi à gravibus, ideo censetur negare potestatem absolvendi à parvis. Etiam si igitur extra Sacramentum hoc in re vel voto non fiat potestas absolvendi à mortalibus, non ideo sequitur, non esse modum alium absolvendi à venialibus.

XVI. Doctrina decima. Forma hujus Sacramenti Pœnitentiæ sunt ista verba: *Ego absolvo te à peccatis tuis in Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* ut habet communis & certa sententia catholicorum Theologorum cum D. Thoma 3. Part. quæst. 84. art. 3. Nec dubitari potest, quin hæc formalis optima. ut patet ex usu Ecclesiæ; certè luculenter significat effectum hujus Sacramenti, scil. remissionem peccatorum judicialiter factam.

XVII. Doctrina undecima. Minister Sacramenti Pœnitentiæ solus Sacerdos esse potest. Ita tenent omnes Catholici, & clarè definit Tridentinum Sess. 14. can. 10. *siquis dixerit, non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis &c. anathema sit.* Sacerdos autem efficitur aliquis per potestatem sacrificandi. Unde cum in Ecclesia non sit aliud sacrificium, quàm confessio & oblatio Corporis Christi, sequitur, non posse de facto concedi facultatem absolvendi ei, qui vel non prius, vel saltem simul accipiat potestatem sacrificandi. Quare si aliquis in ordinatione ex quocumque defectu non acciperet verè potestatem consecrandi & offerendi sacrificium, non reciperet etiam deinde potestatem absolvendi; quippe non potest hanc accipere potestatem, non acceptâ priore, etiam si posset accipere potestatem consecrandi absque potestate absolvendi, ut bene advertit Arriaga Disp. 39. num. 2. Porro hanc potestatem esse judicialem, & sic Apostolos eorumque Successores à DEO fuisse Judices constitutos, rectè Tridentinum Sess. 14. c. 5. tradit & ex constat; nam absolvere



solvere reos vel punire, Judicis est officium. Judiciarum autem potestatis duo sunt actus; nimirum solutio & ligatio. Quid sit Solutio, clarum est, scilicet remissio peccatorum, quæ non tantum fit moraliter & extrinsece, sicut in humanis judicijs, ubi sententia absolutoria non tollit reorum delicta, sed tantum declarat, non esse commissa. At in hoc Spirituali & Sacramentali iudicio peccata, quæ constat esse commissa, tolluntur per physicam & realem infusionem gratiæ Sanctificantis; cum enim peccatum mortale (sive adæquatè sive inadæquatè aut saltem per modum consequentis proprietatis pro sententiarum varietate) sit privatio gratiæ Sanctificantis, tolli non potest, nisi per ejus gratiæ infusionem, sicut tenebræ non possunt tolli, nisi lucis productione.

XVIII. Quid verò sit Ligatio, utrum positivum quoddam vinculum peccatori à Sacerdote injectum: an solum negativa omisso absolutio- nis prius vinculum relinquens, satis est obscurum. Tridentinum iudicat, esse obligationem ad opera penitentiae à Confessario imposita, adeoque positivam injectionem novi vinculi, sicut enim loquitur Sess. 14. c. 8: *debent Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggererit pro qualibet criminum & penitentium facilitate salubres & convenientes satisfactiones imponere; nam claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed etiam ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres credunt & docent.* Et can. 15: *Siquis dixerit, claves Ecclesie esse datus tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt penas consentibus, agere contra finem clavium & contra institutionem Christi &c. anathema sit.* Econtra hanc ligationem tantum negativè pro non-solutione præhabiti vinculi peccatorum accipit D. Hilarius ante annos 1300. in cap. 8. Matthæi his verbis: *quos in terris ligaverint, hoc est, peccatorum nodis innoxos reliquerint, &c. quæ exposito suadetur.* Tum quia in verbis Christi ligare & retinere pro eodem sumuntur, cum unus Evangelista hoc, alter altero verbo fuerit usus. Atqui retinere non significat impositionem novi ligaminis, sed prioris derelictionem, sicut ægrotus in morbo detinetur subtractis medicamentis. Tum quia solvere & ligare sunt opposita. Sed impositio penitentiae non opponitur solutioni peccatorum, sed simul consistit. Ad Tridentinum dici potest; illud vel non adhibuisse hanc Scripturæ interpretationem per modum definitionis, sed tantum per modum probationis, vel locutum fuisse solum de obligatione conditionata ad penitentiam, si quis frui velit virtute Sacramentali; per quam opera à Confessario injecta ex opere operato multò plus poenæ delent, quam opera spontanea tantum ex opere operantis proficiat. Verum ut quàm securissimè procedamus; & tam Autoritatem Concilij respiciamus, quam Authorum rationes attendamus, utrumque conjungimus; & asserimus, ligationem significare partim negativam non-solutionem peccatorum, partim positivam penitentiae impositionem; quia revera ad utrumque se extendit, ut aperte tradit Tiranus in Matth. c. 16. v. 19. his verbis: generalis ligandi potestas exercetur 1. culpam non absolvendo, sed ut erat relinquendo. 2. remissa culpa penitentiam injungendo. 3. excommunicando, suspendendo à sacris, & interdicens. 4. præcepta & leges Ecclesiasticas præscribendo. 5. definitione controversiarum scrip-

turæ, vel fidei iudicium nostrum adstringendo. Ex quibus patet è contrario, quæ ratione solvendi potestas exerceatur. Atque hæc etiam mens videtur esse aliorum Doctorum & Interpretum.

## PARS POSTERIOR.

## ERRORES HAERETICORUM.

XIX. **E**rror primus est communis omnium hujus temporis hæreticorum Lutheranorum apud Gerhardum in Confess. Lib. 2. P. 3. à fol. 1. & Calvinistarum apud Amesium Tom. 3. cont. Bellarmin. à fol. 179. Penitentiam non esse Sacramentum à Baptismo distinctum. Probat 1. Quia in scriptura nihil legitur de hoc Sacramento Penitentiae. 2. Quia ministri Christi ad conciliandam hominibus peccatorum remissionem eo modo missi sunt à Christo, quo modo ipse à Patre juxta illud Joan. 20. v. 21. *sicut me misit Pater, & ego mitto vos &c.* At Christus non per ministerium alicujus Sacramenti Penitentiae, sed annunciando hominibus Evangelium, & animum placabilem conciliavit peccatoribus veniam. Ergo &c. 3. In omni Sacramento pro materia debet esse aliquid elementum, ut docet S. Augustinus Tr. 80. in Joannem: *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* At in Penitentia nullum est elementum, sed mera verba confitentis & absolventis. Ergo &c. 4. Penitentia non fuit verè & propriè Sacramentum ante Evangelium promulgatum: Et post Evangelium promulgatum non alterius Penitentiae usus debet esse, nisi illius ipsius, quod fuit ante. Ergo nunquam censendum est Sacramentum. 5. Suppetunt alia media obtinendæ remissionis peccatorum, scil. fides justificans, quæ credimus Christum pro nobis satis fecisse. Ergo frustraneum est Sacramentum Penitentiae; quo nemo prudens uti voler cum tanta confusione, cum alio faciliiori modo reconciliari DEO possit, nempe fide, ut diximus, aut memoriâ Baptismi &c.

XX. In hoc errore (quem supra jam diximus à diversis Concilijs fuisse damnatum tanquam S. Scripturæ Patribus & rationi contrarium) tria continentur gravia absurda. 1. inconstantiae & mutabilitatis in fide. Nam initio suæ defensionis, seu ut ipsi sectarij aiunt, reformationis tria Sacramenta agnoverunt, Baptismum, Penitentiam, & Eucharistiam, ut constat ex Apologia Confessionis Augustinæ: postea Penitentiam de numero Sacramentorum expunxerunt, duobus tantam relictis Baptismo & Eucharistiâ, eo ipso fatentes, se prius in fide errasse. Quis ergo credat, eos deinceps ab errore immunes fuisse? aut quis eorum doctrinæ securè fidat? 2. est cæcitatatis, quod Baptismum & Penitentiam confundant, quæ toto cælo differunt; quippe Baptismum quilibet homo administrare potest: non item Penitentiam, sed soli sacerdotes. Baptismus semel collatus repeti non potest: at Penitentia sæpius iteratur. 3. temeritatis, quod antiquissimam doctrinam à S. S. Patribus traditam absque ulla firma ratione imprudenter rejiciant,



cum argumenta illorum prorsus frivola sint, imò nonnulla indigna, quæ referantur.

XXI. Respon. ad 1. falsitatem hujus prioris parte. doctr. 4. jam fuisse offensam, ubi ex verbis Christi Joan. 20. v. 22. evidenter hoc Sacramentum deduximus; neque enim necesse est, omnia disertè in scriptura exprimi, sed sufficit, fundamentum poni; unde per bonam consequentiam deducantur. Sicuti Christus Matth. 22, v. 44. suam divinitatem probavit per discursum ex Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo.* Et sicuti ipsimet Lutherani & Calvinistæ baptismum legitimum infantium nequeunt ostendere, nisi per discursum ex illo Matth. 23, v. 19. *euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* Adhæc si omnia fidei dogmata apertis verbis in scriptura monstrari oportet, ubi hæretici ostendent, libros, quos pro Canonicis habent & credunt, verè esse verbum DEI. Ad 2. Imprimis retorquendo; sic enim neque per Baptismum peccatores à Ministris reconciliari DEO debent, cum Christus neminem baptizavit. Joan. 4. v. 2. Deinde dicendo, similitudinem significari à Christo tantum in genere, quod scil. Ministri Christi mittantur cum potestate & autoritate suo modo, non in specie & tam excellenti modo, quo Christus à Patre fuit missus ad peccatores veniam hominibus impertiendam. Ad 3. cum S. Thoma 3. p. q. 84. art. 1. nomen elementi dupliciter sumi. 1. latè pro quolibet signo sensibili; quo sensu etiam verba dici possunt elementa, sicut grammaticas vocamus elementa lingue græcæ, aut latinæ. 2. strictè pro 4. simplicibus corporibus, è quibus mixta componuntur; scil. aqua terra &c. quo sensu accepit loc. cit. S. Augustinus non loquens de omnibus Sacramentis, sed tantum de Baptismo; alioquin nec Eucharistia esset Sacramentum; quia panis & vinum non sunt propriè elementa, sed mixta. Urget Gerhardus fol. 2. signum sensibile, quod pro elemento obruditur, debere saltem esse substantiam Sed hoc absque ulla ratione asseritur; solum quippe requiritur res externa sensibilis, qualis etiam verba sunt; imò substantia non est talis per se, sed solum per accidentia sua percipitur. Ad 4. fuisse quidem ante & post Evangelium eandem Pœnitentiæ virtutem, atque etiamnum esse, non tamen eandem simpliciter pœnitentiam semper extitisse; sicut enim post Evangelium novus est adhibendus Baptismus, ita & Pœnitentia. Urget Kemnitius in exam. Trident. Sess. 14. c. 1. & can. 1. D. Paulum Actor. 26. v. 22. testari coram Agrippa Rege, non aliâ se pœnitentiâ prædicare, quam illam à Prophetis annunciatam. Aio, quemadmodum Apostolus de Baptismo & alijs omnibus Christi mandatis concionabatur, etiam si pleraque hujusmodi non explicite, sed solum implicite fuissent à Prophetis annunciatam, sic putandum, illum de Sacramento Pœnitentiæ prædicasse; etenim observabat procul dubio præceptum illud Domini Matth. 28. v. 20. docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis. Et quomodo aliàs loc. cit. hortari Paulus potuisset Agrippam, ut digna Pœnitentiæ opera faceret; an non in lege Evangelica ad dignum opus Pœnitentiæ etiam confessio requiritur?

XXII. Ad 5. negando solam fidem delere peccatum, ut satis pater exijs, quæ de Justificatione supra diximus. Amelius à fol. 184. contendit, Baptismi vim extendere se ad omnia peccata to-

tius vitæ. Sed si Baptismus delet peccata posita per totam vitam commissa, cur non multò magis cavet & obstat, ne ea fiant? Adhæc si Baptismus valet ad peccata futura delenda; vel delet ista cum suscipitur: vel postea ad memoriam revocatus, si prius, remittuntur peccata, antequam admittantur, quod est absurdissimū, cum sic nulla peccata baptizato nocere possent, adeoq; omnes baptizati Salvarentur. Air Amelius fol. 186. Baptismum delere peccata futura non completè, sed virtualiter; compleri autem per fidem & pœnitentiam. Sed si totum facit fides & pœnitentia, ad quid igitur fingitur memoria Baptismi? Si posterus, sequitur, incertam fore justificationem utpote ab hominum testimonio pendente. Air iterum Amelius, justificationem non ita alligari signo externo Baptismi, ut, si quis sine sua culpa intraretur illo, idcirco non possit particeps fieri virtutis ejus. Sed, ut ut illi sic consulatur, qui ad amorè & contritionem perfectam pertingit, quid fiet imperfectis in amore Dei? Non tacerim, sic etiam sublatū iri S. Eucharistiæ frequentationem, cum pariter sufficere possit memoria spiritualis cibi, aliquando gustati, sicuti sufficit memoria lavacri aliquando suscepti. si enim ista sufficit, cur non etiam illa in ordine ad suum quoque effectum. Ecce quod tandem miseri deveniant!

XXIII. *Error secundus* (juxta plerisque Saltem Theologos) est, ad Sacramentum Pœnitentiæ absolutè & in re ipsa necessariam esse Contritionem perfectam proprio studio excitatā. Ita Cornelius Jansenius præfatis. Tom. 3. Lib. 5. c. 33. colum. 589. & alibi docens, *attritionem ex timor. peccatorum infernalium non esse sufficientem dispositionem ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam; balluarnari Authores opposita sententia, & fundamentis D. Augustini directè refragari &c.* Moverur. Tum quia dolor iste ad justiciam acquirendam non est proportionatus. Tum quia non continet voluntatem relinquendi peccata, sed mater semper repugnantia voluntatis, quâ nollit facere, si pœna tolleretur. Tum quia attritus ob gehennam nihil facit ex animo & volenter, nihil coram DEO, sed tantum in speciem coram hominibus operatur. Errorem istum rejicit Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 6. & can. 9. ubi damnantur Sectarij hujus temporis, asserentes absolutionem esse nudum ministerium pronuntiandi & declarandi, remissa esse peccata. Hinc Suarez, Tanner, & alij affirmant, sine errore negari non posse, Sacramentum hoc aliquo tandem modo seu quoad effectum ex attrito facere contritum; omnes enim Doctores sic loquuntur in 4. Distin. 17. Arriaga Tom. de Pœnitent. D. 17. n. 25. Et Disp. 24. n. 19. absolutè censet errorem in fide, attritionem etiam ut cognitam non sufficere ad valorem & fructum hujus Sacramenti; cum Tridentinum aperte distinguat contritionem, quæ solum sufficit cum Sacramento ad justificationem ab ea contritione, quæ sufficit sine Sacramento. Certè si attritio eum Sacramento non sufficiat, Christus per institutionem Sacramenti Pœnitentiæ non tam sublevavit, quam aggravavit onus Pœnitentiæ atque ipsum salutis iter.

XXIV. Respon. ad 1. probationem. Cum Attritio efficax talis sit, ut per eam absque peccandi affectu à peccatis abstinemus, teste Tridentino Sess. 6. can. 8. & donum Spiritus Sancti existat,



stat, quidni proportionata sit dispositio ad gratiam Sacramenti? Quare si quis illam ex mativo charitatis necessario concipiendam esse sentiat, naturam hujus Sacramenti evertit, & contra Scripturam & Patres negat, communicatam nobis potestatem remittendi peccata. Ad 2. Qui DEUM timer vindicem, ne eum experiatur talem, renuit offendere illum, ac proinde se convertit; statuitque vitam emendando DEO adherere. Timor igitur aliquis ex gehenna intentata conceptus complectitur omnia, quae vera Penitentia, etsi non ex charitate profecta, comprehendit. Quae doctrina est communis Patrum, nominatim S. Augustini diversis in locis, ac disertè traditur à Tridentino Sess. 14. cap. 4. cum in contritione non tantum cessationem à peccato, vitae novae propositum ac inchoationem, sed veteris etiam vitae rædium contineri doceat, eaque communia esse statuat contritioni perfectæ & imperfectæ seu Attritioni, ut loquitur, ex gehennæ metu conceptæ. Quare falsum est, dolorem istum attritionis non continere voluntatem relinquendi peccata; de hoc enim intelligendum illud Proverb. 14. v. 17. *Timor Domini fons vite, ut declinent à ruinis.*

XXV. Ad 3. esse quidem timorem nonnullum, qui rei deserendæ amore inefficacem ad mittat persistentem: dari nihilominus alium, qui omnem rei prius amatæ amorem ac voluntatis repugnantiam excludat; qualem asserimus esse timorem efficacem gehennæ, qui utilis esse non potest ad finem intentum, nisi affectum omnem excludat erga peccata prius amatæ; Illum autem non extortum & coactum, sed liberum & voluntarium tradit Tridentinum Sess. 14. cap. 4. cit. Unde sic timens ex animo & ex corde legem implere, & abstinere potest à peccato, uti definitur à Tridentino Sess. 6. can. 8. itid. cit. Quem admodum igitur juxta sacri hujus Concilij doctrinam tenendum, ad gratiam Sacramenti Penitentiae requiri contritionem imperfectam, quæ sit veteris vitæ odiû ac piæ vitæ de fideri: ita ex præscripto ejusdem & doctrina Patrum dicendû, duas istas condiciones attritioni ex gehennæ metu conceptæ convenire; quod per illam, dum efficacem est, subiiciat se quis quoad omnia legi divinæ: quodque ejus Authorem ex timore offendere recuset. Ait Jansenius Lib. 5. cit. Tom. c. 34. col. 591. hoc ipso non esse attritionem, sed veram contritionem unicè à Tridentino requisitam. Negatur illatum Nam ex prædicto affectu attritionis non proxime deletur culpa, uti contritione perfectâ: sed obex tollitur, ut se exerere valeat virtus Sacramenti, nihil aliàs effectura.

XXVI. Non obstat refutationi hujus erroris, etiam Catholicos Doctores, ut supra vidimus, negare attritionem solam sufficere ad Sacramentum. Nam isti plerique scripserunt ante Concilium Tridentinum, & explicari possunt de attritione, quæ non transit aut transire potest in contritionem, scil. quoad effectum; nec ijdem ita absolute, ut Jansenius, negant, attritionem prorsus esse insufficientem, ut ex attrito nunquam fieri possit contritus; certè nullâ pertinaciâ se opponunt, sed solum Ecclesiæ mentem nondû se perspicere ostendunt. Omitto de Sacramento Gerhardi Lib. 2. P. 3. à fol. 24. contritionem cordis; quæ est pars Penitentiae, esse passionem. Nam sic contritio non prærequi-

reret ullam noticiam: nec esset hominis, ut sic, actus vitalis, sed omnino similis contritioni lapidis, aromatum &c. quo quid ineptius cogitari potest?

XXVII. *Error tertius est, Specialem confessionem peccatorum coram Sacerdote non esse necessariam ad remissionem peccatorum, sed sufficere, si quis DEO soli in suo corde confiteatur. Ita communiter hodie hæretici, nominatim Lutherani apud Gerhardum in Confess. Lib. 2. Part. 3. à fol. 37. & Calvinistæ apud Amesium Tom. 3. cont. Bellarm. à fol. 197. His ad stipulatus fuit Jacobus Reihing inter causas, quas prætexuit transfuga, etiam auricularis confessionem numerans. Sed causam hanc esse non-causam & miserum impietatis fucum bene ostendit Simon Felix in libro, quem contra Apostatam istum scripsit. Disp. IV. Probant septem plerique argumentis. 1. Contritis promissa est à DEO plena omnium peccatorum venia. Ergo non est necessaria confessio hominibus faciendâ. Consequencia est clara. Antecedens probatur ex Sac. Scriptura Ezechielis 18. vers. 2. *Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis; quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet, & non morietur, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Et vers. 27. *Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit judicium & justitiam; ipse animam suam vivificabit.* Ubi ad remissionem peccatorum nulla Confessio exigitur, sed solaaversio à peccatis & emendatio vitæ. 2. Si ad remissionem peccatorum requireretur specialis confessio coram homine, tunc lex Evangelica foret multo durior, quàm Iudaica. Consequens repugnat Scripturæ. Ergo & Antecedens. Sequela majoris probatur. Quia non tenobantur ad confessionem tam difficilem & duram propter examen & pudorem, sed sola justificabantur contritione. Minor probatur. Quia S. Petrus Actor. 15. v. 10. veterem legem vocat jugum importabile, quod nec ipsi, nec Patres eorum portare potuerunt. Et Christus Matth. 11. vers. 30. suam legem vocat jugum suave, & onus leve. 3. ab exemplo Christi, qui peccatores sine vlla confessione absolvit, ut paralyticum Matth. 9. v. 2. & adulteram Joan. 8. v. 11. quod exemplum utique nobis imitandum, neque plus à peccatoribus exigendum, quàm Christus exegerit. Confirmatur exemplo Apostolorum, qui Christum imitati similiter non exegerunt confessionem peccatorum in specie, quando ista omnibus remisit. 4. ab exemplo veteris Ecclesiæ; cui non fuit usitata particularis & auricularis confessio, sed in occidentali Ecclesia Romana primùm introducitur fuit in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. ante annos. 475. ut constat ex jure Canonico c. 12. de Penit. & Remiss. In orientali Ecclesia Græcorum usitata quidem fuit publica confessio; sed propter abusus denuo sublata à Nectario Patriarcha Constantinopolitano ante annos 1200. ut testantur antiquissimi Historici Socrates Lib. 5. c. 18. & Sozomenus Lib. 9. c. 15. Ergo non fuit Confessio à Christo instituta; aliàs Ecclesia illam non posset abolerè, vel denuo introducere.*

XXVIII. Gratianus in decret. de Penit. Distin. 1. can. quamvis plenitudo, in cujusque arbitrio relinquit, an Confessio sit faciendâ Sacerdoti; quia scil. utraque sententia negativa scil. & affirmativa ha-



tiva habet sapientes & religiosos viros. Ergo non est certum, Confessionem omnium peccatorum fuisse à Christo institutam. Addit Gerhardus loc. cit. fol. 40. Glossatorem (quem aliqui vocant Bartolomæum Brixinensem, alij Joannem Senecam Teutonicum) qui in Dist. 5. de Pœnit. can. 1. expressè docet, confessionem fuisse ab Ecclesia institutam, adeoque non esse Sacramentum; sic enim loquitur: *Videndum est, quando fuerit instituta hæc confessio? utrum sit necessaria, vel tantum voluntaria? qualiter sit facienda? & cui, & quo modo? Dicunt quidam institutam fuisse in Paradiso statim post peccatum, dicente Domino ad Adam. Adam ubi es? ideo enim quesivit, ut ipso confitente peccatum daretur forma alijs imposterum confitendi. Sed quia in illa interrogazione Dominus minus expressè videbatur ad confitendum monuisse, ideo post exquisivit à Cain fratricida expressius, ubi est Abel Frater tuus? Alij dicunt, quod sub lege primo sit instituta, quando Josue præcepit Achan, & iste crimen suum confiteri efflagitatus est Josue 7. v. 19. Alij dicunt, in novo Testamento à Jacobo dicente c. 5. v. 6: confitemini alterutrum peccata vestra &c. Sed melius dicitur, illam institutam fuisse à quadam Ecclesia universalis traditione potius, quam ex veteris vel Novi Testamenti Autoritate. 6. ab auctoritate Joannis Chrysostomi, qui in pluribus locis confessionem coram homine videtur improbare, vel certè ut non necessariam præterire. Ita enim scribit hom. 2. in Psal. 5. non dico, inquam, ut confitearis confesso tuo, qui exprobet. Et hom. 4. de Lazaro: cave homini dixeris, ne tibi exprobet; neque enim confesso tuo est confitendum, qui in publicum proferat, sed Domino, qui tui curam geret. Et rursus hom. 2. in Psal. 50. si confunderis alicui dicere, dicito quotidie in anima tua. Et similia alia sæpe reperit. 7. denique à ratione. Tum quia omne Sacramentum debet esse signum gratiæ, sed confessio peccatorum non est signum gratiæ, quia tantum significat peccata commissa. Ergo non est Sacramentum. Tum quia in Baptismo peccata remittuntur absque confessione peccatorum omnium prævia. Ergo & in Sacramento Pœnitentiæ. Tum quia confessio singulorum peccatorum in specie est miserima conscientiarum carnificina, & obligatio ad rem impossibilem ex varijs Scripturæ locis, quos allegat Gerhardus fol. 39. ubi plura similia deliramenta hæreticorum contra confessionem adducit. Idem faciunt Hannekenius in suo Irenico à fol. 72. & Molinæus in Novitate Papat. à fol. 718. ubi à fol. 746. Confessionem auricularem vocitat medium perquam aptum subditis contra Reges & Principes concitandis, & inde Regicidia emanasse clamitat.*

XXIX. Errorem hunc jam olim à Montanistis, Messalianis, & Jacobitis inventum, & à varijs antiquis Concilijs damnatum nostro ævo refuscitarunt Novatores, & auricularem confessionem omnibus retro sæculis in Ecclesiæ DEI apud Christianos usurpata abrogarunt ingenti malo, non solum Fidei catholicæ, à qua facile homines inde desciverunt, sed etiam vitæ & morum Christianorum occultis nefandisque criminibus corruptorum, à quibus prius frænum Confessionis privatæ animos inhibuerat. Testatur hoc Senatus Norinbergensis (quæ civitas Imperialis Norinberga inter primas adhæsit Lutheranae Sectæ) ad Augustissimum Imperatorem Carolum V. Legatos mittens, qui supplicando instarent, ut sua Majestas confessionem auricularem per Cæsareum mandatum restitueret, eò quod post illam

abrogatam civitas illorum occultis & nefandis criminibus contra Justitiam omnique virtutem & honestatem fuerit repleta. Sed nihil ab universa aula Imperatoria nisi ingentem risum tulerunt; si enim, ut ipsimet clamitant, homines iure divino obstringi nequeunt ad confessionem occultorum suorum peccatorum utpote miseriam conscientiarum carnificinam & obligationem impossibilem, quomodo humano præcepto Imperatoris ad eandem obligari poterunt? scribit istud factum Dominicus Sotus Lib. 4. sentent. Distin. 18. q. 1. art. 1. qui tunc præfens fuit, & ipsi Carolo V. Imperatori à factis confessionibus.

XXX. Respond. ad 1. argumentum. Negando consequentiam. Nam quantumvis contritioni promissa à DEO sit venia plenissima peccatorum, non tamen absolute, sed conditionate, nempe si habens contritionem *insiderit mandata mea*, ut ait Ezechiel, per custodiam intelligens voluntatem custodiendi omnia præcepta, inter quæ in Novo Testamento est præceptum confessionis omnium peccatorum; etenim omnes Theologorum Tridentino Sess. 14. c. 4. docent, contritionem implicitè involvere confessionis votum, seu, quod idem est, voluntatem confitendi omnia peccata. Videatur Jacob. Tiribus in cit. locum scripturæ. Ad 2. Negando sequelam Majoris. Ad probationem hujus ostendit Bellatminus Lib. 3. de Pœnit. c. 3. etiam in Veteri Testamento Judæis confessionem peccatorum in specie fuisse impositam. Nam c. 5. v. 6. & 7. Libri Numerorum sic habetur, *sive vir sive mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum*; quæ verba in hebræo cum majore explicatione sic leguntur, *confitebuntur peccatum suum, quod fecerunt*. Unde S. Antoninus 3. part. Tit. 14. c. 6. §. 1. suæ Theologiæ affirmat, Judæos doctiores ante mortem confiteri solere omnia peccata Levitæ alicui, si quem forte nati fuerint. Ad hæc onus confessionis tantum non est. Tum quia homo ea solum peccata confiteri teneretur, quæ post diligens ex amen occurrunt. Tum quia confessio sit homini vices DEI gerenti, & ad summum silentium obstricto. Tum quia auxilium DEI, exempla omnium Catholicorum, tranquillitas conscientiarum, alijque spirituales fructus ex ea obtineri soliti mirè eam suavem faciliemque reddunt, experientiâ teste, ut lex Christi rectè onus leve dicatur, comparata importabili jugo legis veteris Judæorum. Ad 3. Christum nec Sacramento Pœnitentiæ (quod tunc nondum erat institutum) alligatum fuisse, sed pro potestate excellentiæ sine illo remittere peccata potuisse: nec indignis hominum confessione, quippe ipse sciebat perfectissimè, quid in homine esset; Ministros autem Christi, cum similiter, quoad fieri potest, cognitâ causâ remittere hominibus peccata debeant, nec tamen ista absque pœnitentiæ confessione noverint, omnino eadem confessione præviâ opus habere, ut sic munere erga sibi commissos rite fungantur. Ad confirmationem negamus constanter, Apostolos unquam ministerium illud reconciliationis fidelium exercuisse absque specialiter eorum confessione. Neque probare hoc sectarij ullo modo possunt, nisi quia id expressissimis verbis in scriptura non legitur; quam sanè probatio-



bationem ineptè adhibent; etenim nec ipsi locum ullum Sac. Scripturæ adducere possunt, ubi aliquo Apostolorum privatam alicui absolutionem more Lutherano impertitam fuisse narrentur.

XXXI. Ad. 4. Negando antecedens. Nam falsum est, quod Innocentius III. confessionem primò instituerit, cum duntaxat tempus illius determinaverit, scilicet semel in anno circa Pascha. Quoad Nectarium Patriarcham Constantinopolitanum variè sentiunt Authores. Aliqui concedunt, illum propter exortum scandalum sustulisse confessionem secretam, ex ferventi scilicet zelo magis; quam prudenti. Sed malè; quia constat, confessionem secretam in suo semper vigore perstitisse. Alij volunt, illam historiam à Socrate Novati fautore confictam esse. Sed etiam malè, quia plures eam historiam referunt. Est autem historia ista. Mulier quædam prænobilis post confessionem privatam Pœnitentiario factam in publica deinde confessione propalavit, se concubuisse cum Diacono illius Ecclesiæ; unde magnum populo univèrso scandalum, Clero autè ingentem infamiam peperit; & Nectarium eò impulit, ut publicum istum confitendi modum tolleret. Fatemur igitur, historiam illam videri veram: minimè verò Nectarium inde confessionem secretam sustulisse, sed tria alia, quæ per accidens ad illam se habent. *Primò* abrogavit munus Presbyteri Pœnitentiarij; quia occasione hæresis Novatianorum (qui negabant, in Ecclesia esse potestatem absol vendi à peccatis) præter eos, qui alioquin privatis & secretis confessionibus audiendis operam dabant, in singulis Ecclesijs unus quidam designabatur ad fidelium confessiones eo sine privatim audiendas, ut prudenter deinceps decerneret, quænam peccata ex auditis publicâ confessione in aliquam partem Pœnitentiæ essent propalanda, cujus tamen directionem mulier illa ex quacunque causa in super habuit. *Secundò*, abrogavit ipsam publicam confessionem ex occasione prædicti scandali; id tamen factum Nectarij nonnulli improbarunt, quasi eâ ratione laxata fuerit disciplina Ecclesiastica, ut videre est in historia tripartita apud Sozomenum L. 9. c. 35. *Tertiò* abrogavit etiam pœnitentiam publicam, ad quam confessio publica ordinabatur. Nam hæc duo sola sufficiebant, ad sedandam populi concitationem & hujusmodi scandalum deinceps evitandum. Quando igitur Historiographi ajunt, relictum fuisse quemque suæ conscientiæ, ut ad sacram communionem accederet, non indicare volunt, relictam esse facultatem accedendi sine ulla confessione etiam secreta, quasi & hæc abrogata esset, sed quia, cum ante publici peccatores arcerentur à communionem, donec pœnitentiam publicam coram illo presbytero seu ex ejusdem mandato agerent, ut Ecclesiæ innotesceret, jam tunc relinquiebantur suæ conscientiæ, nec opus erat, coram Ecclesia pœnitentiam agere etiam de publicis. Videatur Bellarmin. Lib. 3. de Pœnit. c. 14.

XXXII. Ad 5. privatam esse errorem Gratiæ, quod plures esse viros Religiosos putaverit, qui Sacerdoti confessionem necessariò faciendam non esse arbitrarentur: ac multò magis hallucinatum fuisse, existimando, se cit. Distinct. talium virorum sententias aliquas contra confessionis necessitatem adduxisse; etenim ex 90. canonibus in

illa Dist. comprehensis nec unicus est, qui ullius Patris dictum contineret, quo confessionis secretæ necessitas infringeret, uti per singulos ostendit Valentia Tom. 4. D. 7. Q. 9. pun. 2. Glossator Juris Canonici crasse etiam erravit; cujus ruditas ex ipso discursu apparet, quod figuras Ver. Testamenti cum Confessione figurata confundat, atque falsò attribuat Doctõribus innoimatis; nullus enim Theologus tam imperitus fuit, ut diceret, Sacramentum Confessionis in veteri Testamento fuisse institutum, sed tantum Præfiguratum atque adumbratum. Ad 6. Sanctum Chrysostomum ejusmodi loquendi modis duo solum docere. Inprimis tanquam Studiosus defensor sui Antecessoris Nectarij carpit & improbat confessionem publicam, quæ fit coram testibus ob rationem superius dictam; atque in hunc modum intelliguntur prioris generis sententiæ, ut colligi potest tum ex adjuncta voce exprobrandi, tum ex eo, quod in eadem homil. 4. de Lazaro dica: *Non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes; mihi soli dic peccatum tuum, ut sanem ulcus, & que dolore liberem.* Deinde verò in posteriori loco aliique similibus absolute velut maximè salutarem commendat quotidianam confessionem soli DEO factam. Quò nimirum spectat etiam illud homil. 2. in Psal. 50. *Ecce habes codicem, ubi scribas quotidianum pensum, habeto codicem conscientiam tuam, & scribe quotidiana peccata, quando accubueris super stratum tuum. & neminem infestum pateris, antequam veniat tibi somnus, profer in medium codicem conscientiam tuam.* Ubi S. Pater quotidianum examen conscientie commendat. In eundem modum intelligi debet Cassianus collat. 30. c. 8. ubi ait: *quis est, qui non possit suppliciter dicere, peccatum meum cognitum tibi feci. & injustitiam meam non Operui? ut per hanc confessionem etiam illud confidenter subjungere mereatur: & tu remisisti impietatem cordis mei. Quod si verecundia retrahente revelare (scilicet in præsentem) coram hominibus erubescis, illi, quem latere non possunt, confiteri eâ jugi supplicatione non desinas.* Quibus etsi tam à Chrysostomo quam Cassiano quotidianum conscientie examen & peccatorum confessio coram Deo commendatur; non tamen idcirco necessitas confessionis secretæ coram Sacerdote suo tempore faciendæ negatur; ut manifestè patet ex ipsis verbis Chrysostomi priorè parte s. XI. adductis, Cassianum aliqui non tanti faciunt, cum Censores Romani nonnulla in ejus libris improbarint; ut refert Bellarminus de Script. Eccles. V. Joannes Cassianus. Sed explicari prædicto modo potest. Videatur Forer de Antiquitate Papatûs Lib. 7. pun. controverso 6. cap. 2. ubi de Nectario Patriarch. Constant. pluribus agit, & alios Patres contra secretam Confessionem necquicquam afferri ostendit.

XXXII. Ad 7. denique & 1. rationem. Distinquendo Majorè. Sacramentum debet esse signum gratiæ, si sumatur adæquatè cum materia & forma, conceditur: si seorsim solummodo, negatur. Patet hoc in alijs Sacramentis; etenim sola aqua vel oleum; vel panis seorsim sumpta sine respectu ad formam non significant gratiam. Sic ergo enumeratio peccatorum per se sola non significat etiam gratiam remissionis, sed quatenus fit in ordine ad formam absolutionis; significat gratiam, quam sperat. Ad 2. rationem, esse disparitatem inter Baptismum & Pœnitentiam; in illo enim homo peccatis mortuus primò regeneratur ad spirituales vitam, & Ecclesiæ subicitur;

in hæc



in hac verò jam subjectus reconciliatur post amicitiam cum DEO sponte violatam; quid ni igitur dispar in utroque conscientiarum & peccatorum cognitio requiratur. Videri potest Valentia loc. cit. fol. 1760. Ad 3. rationem. Nullam in hujusmodi confessione impossibilitatem, adeoque nullam carnificinam apparere, ut ex dictis jam patet. Cætera, quæ Gerhardus, Manneken, Molinæus accumulunt & exaggerant, sicuti ex vano hausta sunt, ita eodem recidunt. Interim Novatores non constant sibi, nec rectorionem advertunt. Nam Calvinus & Lutherus in diversis locis (quos nominatim citat Vetweis in speculo Ecclesiæ veræ fol. 804.) confessionem homini faciendam penitus negant: ipsi Calvinistæ & Lutherani hanc confessionem homini faciendam prorsus affirmant esse necessariam. Et nunquid apud Pastores & Ministros Verbi eadem fieri possunt, quæ apud catholicos tineri posse arbitrantur, aut facta esse criminantur?

XXXIV. *Error quartus.* Sacerdotes non habent potestatem remittendi peccata, sed tantum denunciant eorum remissionem à DEO factam credentibus & pœnitentibus. Ita ijdem moderni Sectarij. Lutherani apud Kemnitium in exam Trident. Sess. 14. c. 1. can. 1. qui idcirco verba illa Joan. 20. *quorum remisistis peccata &c.* interpretatur in eum modum, ac si Christus dixisset: quibus annuntiatione Evangelij proponitis gratiæ promissionem, remittentur eis: & *quorum retinueritis*, id est, quos proposita etiam ira DEI & severitate legis ob illorum impenitentiam terrebitis, ostenditque eos manere irretitos peccatis & obnoxios ira DEI, his peccata non remittentur. Unde inferunt, operam Confessariorum non tam necessariam esse, quàm utilem 1. ad excitandum horrorem peccatorum, in quo ipsi pœnitentiam ponunt. 2. ad excitandam fidem in Christum, qui pro nobis abunde satisfecit. 3. ad consolandos Credentes, eisque denunciando remissionem peccatorum. Calvinistæ eundem errorem tenent apud Amesium Tom. 3. à fol. 194. ubi imprimis fatetur Matth. 16. v. 19. Et cap. 18. v. 18. Item Joan. 20. v. 23. fieri mentionem judiciariæ potestatis; addit tamen, ejus auctoritatem & potestatem esse penes Christum solum, & ministerium tantummodo penes Christi Ministros. Deinde ad genium hæreticum mox rediens, & concessa sacerdotibus judiciariæ potestatis quasi pœnitens ait, retentionem peccatorum non pendere ex voluntate sacerdotum; vel enim remittuntur peccata credenti & respicienti (quidquid Sacerdos velit aut nolit) vel Evangelium non est verum. Demum proponit casum satis lepidum: Sint, inquit, duo sacerdotes unam & eandem confessionem audientes; si isti inter se dissentiant, ita ut unus remittat, alter retineat peccata confitentis, quid tandem fiet? Consentit Molinæus negans præfractè à fol. 764. judiciariam potestatem sacerdotibus concessam, ideoque absolvere nihil ait esse aliud, quàm pœnas & Censuras excommunicationis ac Suspensionis dimittere, quibus sacerdos peccatorem irretire possit.

XXXV. Errorem istum efficaciter rejiciunt verba Christi Matth. & Joan. citata. Nam istis, quorum remisistis &c. non vult Dominus omnibus indefinitè peccata remitti: at verò Evangelium omnibus indefinitè prædicandum est Marci 16. v. 15. *euntes in universum mundum, prædicate Evan-*

*gelium omni creatura &c.* potest etiam omnibus dari absolutio illa conditionalis (remittuntur tibi peccata, si credis) Ergo non loquitur Christus de prædicatione Evangelij, sed de vera, licet ministeriali potestate remittendi peccata. Confirmatur. Si absolutio non est actio judicialis, sed simplex annunciatio divinæ promissionis, cum Laicus, fœmina, puer, infidelis, diabolus, pletæcus non minùs absolvere poterit, quàm Sacerdos. Sequelam non possunt negare Adversarij, quia omnes isti hominem ob peccatorum sensum territum verbo Evangelij erigere, & remissionem peccatorum annunciare valent, ac nominatim de Laico & fœmina atque etiam puero concedit Gerhardus Part. 3. Libri. 2. fol. 63. ubi ait, *omnes pios in Novo Testamento esse spirituales coram DEO sacerdotes* 1. Pet. 2. v. 5. Apoc. cap. 1. v. 6. Attamen est contra veterum omnium confessionem, ac contra consuetudinem omnium Ecclesiarum & omnium ætatum. Unde territus Amesius negat sequelam, ajens, pastorem fidelem singularem designari à Christo ad istam legationem. Ita quidem est, sed idcirco etiam DEUS singularem illi auctoritatem delegavit præstandi ea, quæ à Laico, fœmina &c. præstari nequeunt. Taceo hunc errorem in alio fundari, videlicet, solam fidem justificare, qui omnibus Sacramentis viam conferendæ gratiæ adimit, & consequenter omnia Sacramenti funditus evertit, quasi tantum signa sint fidem excitantia, sicuti contriones & libelli spirituales, ut alibi jam insinuavi.

XXXVI. Respon. 1. ad Kemnitium, negando hunc esse sensum verborum illorum Joan. 20. *quorum remisistis peccata &c.* Nam Christus in hoc loco significat, eam potestatem remittendi peccata tradere se Ministris, quam ante eisdem promiserat ajens Matth. 18. cit. *quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in calis &c.* Ad hæc potestas non est qualiscunque, sed planè cum auctoritate judiciaria conjuncta, ut scilicet cognita causâ & statu hominis ipsi remittantur, vel retineantur peccata. Ergo & illa apud Joannem; etenim sola denuntiatio veniæ peccatorum non eget clavibus, neque solvit aut ligat. Sic qui iussu Medici significat agro, morbum cessasse, & plenam sanitatem rediisse, non dicitur agrum curasse, aut morbum depulisse, aut vinculum morbi, quo lecto alligatus fuerat, solvisse. Confirmatur. Quando Matthæi 9. v. 2. dixit JESUS paralytico: *remittuntur tibi peccata tua*, ex præsentibus nemo intellexit hæc verba de sola annuntiatione, sed de vera peccatorum remissione; idcirco dixerunt Marci 2. v. 7. *quis potest peccata dimittere, nisi solus DEUS*. Neque ideo à Christo reprehenduntur; imò ipse hanc interpretationem potius confirmat, cum ostendit, se habere potestatem dimittendi peccata &c. non verò dicit, vos malè interpretamini hæc verba: non dimitto, sed annuntio solum, dimissa esse peccata. Frivola igitur est interpretatio Sectariorum, merumque effugium non ad consolandos credentes seu Fideles, sed ad seducendos inventum, ut vinculis peccatorum maneant irretiti, æternumque pereant.

XXXVII. Respond. 2. ad Amesium. Imprimis neque nos asserimus, quod constituerit Christus sacerdotes tanquam Judices absolutos & independentes, sed ministros Christi subordinatos, at tamen judices. Nam Præfati Civitatum v. 5. sunt veri judices, etsi non tantâ, quantâ Principes,



cipes, & illimitatâ polleant auctoritate. Deinde fatemur, Lutheri vel Caluini Evangelium esse falsum. At verissimum Christi Evangelium clarè affirmat, à sacerdotum absolutione pendere peccatorum remissionem, quotiescunque scilicet contritiopœnitentis non est ex charitate perfecta, ideóque per sacerdotalem absolutionem suppletur. Demum casus seu quæstio proposita nihil prorsus habet difficultatis. Nam si pœnitens à parte rei ad absolutionem Sacramentalem ritè est dispositus, remittuntur ei peccata, quantumvis alter sacerdotum refragetur; quippe perinde est, ac si uni legitimo Sacerdoti fuisset confessus, atque ab eodem absolutus, cujus sententiam alius illegitimus & errans utique reddere irritam non potuisset.

XXXVIII. Respon. 3. ad Molinæum. Verba Sacræ Scripturæ esse clariora radijs solis. Cur ergo, ut ex ore DEI processerunt pro iudiciaria potestate Sacerdotibus concessa non intelligantur? Dicit Molinæus ideo non posse allata verba sic intelligi. 1. Quia aliàs sacerdos foret supra DEUM. 2. Quia scriptura absolutionem & mundaionem à peccatis ubique Christo, ejusque passioni ac meritis tribuit. 3. Quia peccatori verè contrito prius jam condonantur peccata, quam sacerdos illum ab eis absoluat. 4. Quia est aperta inconuenientia & impietas, asserere, sacerdotem culpam ac penam inferni condonare, atque insuper dare vitam ac beatitudinem æternam. Sed hæc prorsus frivola sunt, & nullum ex illis quidquam evincit. Non 1. quia Deus nulli obligatur, & semper supra omnes est; quantumvis factâ promissione ex fidelitate non possit non stare promissis. Cum igitur promiserit, remissa fore peccata ijs in cælo, quibus Apostoli & sacerdotes illa remiserint in terra, vi hujus promissionis fieri id oportet; siquidem *unum iola, aut unus apex non præteribit* de verbis & promissis DEI Matth. 5. v. 18. Non 2. Quia verissimum est, Christum, sanguinem ac Passionem hujus liberare ac mundare nos à peccatis meritorie; sed præter has causas meritorias dantur Sacramenta tanquam causæ instrumentales, quæ Sacramenta veluti instrumenta gratiam DEI per merita. ac Passionem Christi illis applicata in nobis operantur. Unde Confessione & Absolutioni, hoc est, Sacramento nequaquam tanta virtus tribuitur, quanta ipsi Passioni ac meritis Christi. Verissimè igitur & Christus & Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ &c. nos mundant à peccatis, nempe ille principaliter: ista instrumentaliter. Non 3. Quia DEUS utique de eadem re bis sententiam ferre potest; primò apud semetipsum in altissimo & secreto suo consilio, quod nulli nisi ipsi pater: deinde apud Ecclesiam & hujus Ministros, qui vices DEI gerunt, & cum peccatoribus agunt. Cum enim DEUS non absque ædijis nobiscum tractet, utitur curatoribus animarum veluti instrumentis. Et quid occlamarè possunt hæretici, si DEUS peccata utroque modo, sicuti potest, peccatoribus remittat? Non denique 4. Quia nullum prorsus est in conveniens, DEUM medianibus Ministris Ecclesiæ & animarum curatoribus donare vitam ac beatitudinem æternam, atque insuper culpam & penam æternam condonare; imò palpabilis ac horrenda est impietas, istud contra expressa verba scripturæ negare. An

non ait Christus Joannis 20. v. 23. *quorum remiseritis peccata, remittentur eis.* Quid ergo hæreamus? Non magis expressis DEI verbis credamus, quam Molinæo aut Amefio? Nunquid ipse Calvinus ait L. 4. Just. c. 1. n. 4. non alium nos habere aditum ad vitam, quam per Ecclesiam matrem nostram, si ista in ventre suo nos concipiat, pariat & uberibus suis lactet? Si igitur DEO placuit, nos solummodo per ministerium Ecclesiæ, & non per aliam viam ac rationem ad cælum ducere, ejusdem est, huic divinæ ordinationi perquam consentaneum esse, si dicamus, DEUM remittere nobis per Ecclesiæ Ministros & animarum Curatores culpam & penam æternam; atque insuper dono concedere Beatitudinem, semper intelligendo, sacerdotes solum tanquam instrumenta & virtute concessæ ipsis potestatis, ac vice DEI: ipsum verò DEUM tanquam supremum Dominum habere id ratum juxta promissionem suam. Unde cum veritate dici nequit, hac in re quidquam DEI honori atque auctoritati detrahi.



CONTROVERS. LXXVI.

DE SATISFACTIONE.

**D**iximus supra §. V. Satisfactionem esse partem Pœnitentiæ, & ad materiam hujus Sacramenti spectare, quæ proinde in præcedente controversia unà cum alijs partibus expediti potuisset; quia verò est tantum pars integralis, & plura continet, quæ hæretici in litem trahunt, idcirco illam peculiari controversiâ tractandam sumpsimus; & cum eadem satisfactio potissimum fieri amat per orationem, elemosynam, jejunium ac corporis castigationem, de his quoque singillatim nonnihil dicemus.



PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

1. **D**octrina prima. Remisso peccato Mortali quoad culpam & reatum penæ æternæ de facto non semper etiam remitti penam temporalem. Ita omnes Catholici, & habetur in Tridentino Sess. 6. c. 14. cit. supra Contr. 61. §. 14. ubi hanc ipsam doctrinam obiter attigim cum alijs Doctoribus, qui eandem pluribus ibidem tradere solent. Probatur 1. aliquot exemplis Sac. Scripturæ. primò ipsius Adami & Posterorum ejus, qui in vindictam peccati originalis, quantumvis jam remissi per baptismum in Testamento Novo: & per circumcisionem aut aliud remedium in veteri, morte puniuntur, aliisque calamitatibus subjiciuntur, juxta verba illa DEI Genes. 3: *quia comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* Et ibid. *in sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Et iterum: *in dolore paries filios:* Et Apostoli Roman. 3. [v. 12.] *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit,*